



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

VIII. De his quæ spectant ad objectum visionis Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

qualitas creata esset supernaturalis. *Respondeo* repugnare substantiæ, ut substantia est, esse supernaturalem, cum supernaturale dicat intrinsecè respectum aliquem, qui substantiæ competere nequit, Unde nec ipsa Dei substantia est propriè supernaturalis; quamvis talis dicatur, quia infinitè superat omnem substantiam creatam & creabilem.

CAPUT VIII.

De his quæ spectant ad objectum visionis Dei.

RESOLUTIO I. *Non datur de facto in beatis species aliqua impressa Dei, sed ipsa divina essentia se habet instar speciei impressæ, quoad visionem beatificam.* RATIO EST, quia non requiritur species impressa quando objectum est per se præsens intellectui, & non minus est immateriale quam ipsa species: Deus autem est per se præsentissimus intellectui beatorum, & immaterialissimus, ergo nulla species impressa concurret de facto ad visionem Dei, sed essentia divina se habet instar speciei, seipsam immediatè representando intellectui beatorum.

Nota 1. Visionem beatificam ut est à Deo, posse dupliciter considerari. 1. Ut est ab illo specialiter concurrente per modum objecti. 2. Ut etiam est ab illo concurrente per modum causæ primæ & universalis: ac priori modo esse necessariam, quia essentia divina, etiam ut ratione antecedit liberum decretum Dei potest gerere vices speciei, seipsam immediatè representando intellectui, cui intimè conjuncta est: posteriori autem adeoque simpliciter esse liberam, cum possit Deus denegare generalem concursum, ad eam planè necessarium. Quare ad salvandam libertatem visionis beatificæ, ex parte Dei, non opus est recurrere ad speciem aliquam expressam, liberè à Deo productam.

Nota 2, quòd etsi ratio divina per se loquendo, habeat vim seipsam representandi intellectui creato, sine ulla specie media; impossibile tamè est quod
intelle-

intellectus creatus eam actu videat, nisi Deus per cō-
cursum generalem liberè exhibitum : adeoque tota
Trinitas ad talem visionem concurrat. Unde ex præ-
missa resolutione nihil sequitur, contra vulgatum
illud, Opera Trinitatis ad extra, sunt indivisa.

* *Nota 3.* etsi, ut visio beatifica fiat modo conna-
turali, requiratur lumen gloriæ, non tamen speciem
impressam ad hoc necessariam esse: quia cum obje-
ctum visionis non sit ratio agendi ipsius potentiæ,
sed potius comprincipium illius, ad eandem opera-
tionem tendens, satis est quod secundum se, sit con-
iunctum potentiæ, & ab ea indistans. Nec refert,
quod objecta corporea non videantur, nisi per spe-
cies; hoc enim est per accidens, eò quod non possunt
per se uniri potentiæ visivæ.

RESOLUTIO II. *Non repugnat de potentia abso-
luta dari speciem aliquam impressam Dei.*] Est com-
munis contra Thomistas, probaturque hac ratione,
quia datur in beatis species expressa Dei, ergo & im-
pressa dari potest. Antecedens ostenditur, quia cu-
jusbet intellectio terminus intrinsecus est ver-
bum mentis, seu species expressa rei intellectæ; at vi-
sio Dei est vera Intellectio: sequela patet, quia si re-
pugnat dari speciem impressam Dei, hoc est maximè
quia repugnat dari finitam aliquam & perfectam
similitudinem essentiæ Dei infinitæ. At hæc ratio
nullius est momenti, siquidem species expressa me-
lius objectum repræsentat, cum sit formalis expres-
sio & veluti imago illius, quam impressa quæ tantum
est quædam qualitas, tribuens intellectui vim effin-
gendi prædictam similitudinem objecti.

* *Dicunt aliqui*, parem esse rationem utrobique:
quare in beatis negant tam speciem expressam, quã
impressam. Sed frustra, nam communi Philosopho-
rum sensu, intellectio nihil est aliud quàm actualis
quædam assimilatio inter intellectum & rem intel-
lectam: quæ non fit secundum esse reale, ut constat,
intellectus enim non fit reipsa lapis, dum concipit
lapidem

lapidem; sed per expressionem rei intellecta, quæ nihil aliud est quam verbum mentis, seu species expressa de qua loquimur: & propter quam Aristoteles interdum ait, intellectum in actu esse rem ipsam quæ intelligitur. Itaque cum visio beatifica sit vera intellectio, negari non potest, quin per illam species expressa producat. Eo vel maxime, quia ejusmodi species est terminus intrinsecus intellectio- nis, sicut calor calefactionis: quare sicut repugnat reperiri calefactionem, sine calore, ita intellectio- nem sine verbo mentis seu specie expressa.

Nota 1. Quod etsi Filius & Spiritus sanctus nullū producant Verbum, non sequitur esse aliquam intellectio- nem sine verbo mentis: quia eorum intelle- ctio eadem est cum intellectio- ne Patris, quæ non est sine Verbo.

Nota 2. Repugnare quidem, quod Deus à forma aliqua creata accipiat vim illam intrinsecam & sub- stantialem quam habet, concurrenti ad sui visionem instar speciei, nihil tamen obesse, quominus possit Deus producere speciem aliquam impressam, per quam habeat intelligibilitatem quandam extrinse- cam, & accidentariam.

RESOLUTIO III. *Beati vident de facto quidquid est formaliter in Deo, neque de potentia absoluta Deum aliter videre possunt.*] **PRIOR PARS PROBATUR,** tum ex verbis illis *1. Joan 3.* Videbimus eum sicuti est; tum ex Concilio Florentino in litteris unionis ubi id definitum fuit: tum *ratione*, nam visio beatifica, om- nium consensu est clara & distincta Dei notitia, qua- lis non esset, si non videretur quicquid est formaliter in Deo. Deus etiam non esset simplicissimus, si eo modo non videretur. Unde colligi potest, videri in Deo ea attributa, quæ dicunt quendam respectum rationis ad creaturas, secundum intrinsecam & ab- solutam perfectionem quam habent, etsi non videā- tur distinctè omnia objecta ad quæ terminantur, sed tantum in confuso.

Posterior

Posterior pars suadetur, nam essentia divina est una entitas simplicissima cum attributis, & cum tribus personis; ergo illa clarè videri nequit, quin reliqua videantur. *Confirmatur*, nam attributa sunt de conceptu quidditativo divinæ essentiæ, relationes verò vel sunt de intrinseco illius conceptu, vel ab ea essentialiter postulantur, tanquam sibi perfectè identificata; at nihil potest clarè ut in se est videri, quin videatur id quod est de ipsius essentia, aut cum quo essentialiter identificatur.

* *Dices*, rationem istam non concludere, quia potest videri color, ut in se est, etsi non videatur ratio qualitatis, dependentiæ à Deo, & similia quæ cum eo identificantur. Poterit ergo divina essentia, ut in se est, videri, etsi attributa non videantur. *Respondeo* negando consequentiam, & ratio discriminis est, quia colorem ab oculo corporeo videri, ut in se est, nihil est aliud quàm, eum videri ut visibilis est: non est autem visibilis in ratione qualitatis, &c. At verò rem aliquam ab intellectu videri, ut in se est, idem est ac eam cognosci, quatenus intelligibilis est: essentia autem divina est intelligibilis, non modo secundum rationem essentiæ, sed etiam secundum rationes attributales. Quare potest oculus corporeus videre colorem, ut in se est, etsi non cognoscat in illo rationem qualitatis, vel dependentiæ à Deo: nisi tamen attributa cognoscantur, dici nequit, essentiam divinam cognosci, ut in se est.

Nota 1. Quod communicabilitas ad intra est proprietas naturæ, non paternitatis, cum hæc repugnet Filio, non illa. At communicabilitas ad extra in ordine ad visionem, seu intelligibilitas, cum sequatur ens, est proprietas totius entis divini: quare si videtur essentia, nulla ratio est cur visio ad eam solam terminari debeat.

Nota 2. Unionem hypostaticam respicere personam Verbi ut subsistentem, quare cum Verbum habeat

habeat substantiam realiter distinctam à subsistentijs aliarum personarum, non est necesse quòd omnes simul incarnentur; at visio beatifica fertur in Deum prout est intelligibilis, quod habet secundum omnes perfectiones suas, tam absolutas quàm relativas; quare nò est ratio cur una possit videri sine alia.

* *Nota 3.* Essentiam divinam uno modo esse speculum necessarium, alio liberum. Dicitur speculum necessarium, quatenus suam essentiam ostendens, non potest occultare attributa essentialia, aut relationes personales, Liberum verò, quatenus ex futuris contingentibus, potest hæc, vel illa beatis manifestare, vt libuerit.

RESOLUTIO IV. *Possunt Beati formaliter vi visionis Dei videre in ipso aliquas creaturas, non tamen omnia possibilis.*] PRIOR PARS PROBATVR 1. ex August. qui 11. de Ciuit. Dei cap. 7. & 29. duplicem agnoscit in sanctis Angelis creaturarum cognitionem, aliam matutinam seu in Verbo, aliam vespertinam, seu extra Verbum per proprias rerum species. 2. *Ratione*, nam essentia divina ex se est representativa creaturarum, ut ex eo manifestum est, quod Deus in seipso videt creaturas ex infra dicendis, quidni ergo poterit adeò intendi lumen beatificum, ut vi illius beatus cognoscat in Deo creaturas aliquas?

Posterior pars suadetur, nã solus ille intellectus qui causam comprehendit, potest in ea cognoscere omnes illius effectus, hoc enim est totam virtutem causæ cognoscere, adeoque eam comprehendere: at nullus intellectus creatus potest Deum comprehendere ex dicendis capite sequenti, ergo neque potest in illa omnia possibilis videre.

* *Dices*, ex cognitione omnium possibilium, non bene colligi intensivam Dei comprehensionem, sed tantum extensivam, quam non est certum, intellectui creato esse impossibilem. *Respondeo* intensivam etiam colligi, quia etsi ex cognitione omnium effectuum in seipsis, cognoscatur virtus causæ extensivè dumtaxat,

Sumtaxat, ex cognitione tamen omnium effectuum in causa rectè deducitur à posteriori, comprehensio intensiva ipsius causæ. Cum eo modo non cognoscantur alii, & alii effectus, nisi quia causa magis, ac magis in se penetratur; ac proinde tota virtus causæ perfectè penetranda sit, ut per illam cognoscatur, quidquid ab ea oriri potest.

Nota 1. Illud videri confusè, quod videtur in alio ut in imagine, vel tanquam in causa, in qua perfectè non continetur; at creaturæ omnes in Deo continentur perfectè, usque ad ultimas differentias individuales, non autem in causis secundis à quibus dependent.

Nota 2. Etsi majus sit videre Deum, quàm videre omnia possibilis extra Deum, minus tamen esse videre Deum solum, quàm simul videre Deum & in eo creaturas aliquas: hoc enim posterius non fit, nisi magis penetrando divinam essentiam.

* *Ex dictis collige, tam exiguam esse posse Dei visionem, ut nulla creatura particularis distinctè in eo videatur cum necesse non sit omnes videri, nec sit ratio, cur magis una possit occultari, quàm alia. Probabile tamen est, quemlibet beatum cognoscere creaturas aliquas possibilis, plures, aut pauciores juxta gradum beatitudinis quem quisque possidet: cum hoc valde congruum videatur statui beatifico, & ad majorem illius perfectionem spectet.*

RESOLUTIO V. *Non repugnat res omnes futuras videri à beatis in essentia Dei, quamvis non sit necesse ut omnes videantur.*] PRIMA PARS PROBATUR, tum quia nulla afferri potest causa repugnantia, tum quia omnes Theologi communiter docent cum S. Thoma 3. p. q. 10. animam Christi videre in Verbo omnia quæ Deus novit scientia visionis.

Secunda pars ostenditur, tum quia Theologi cognitionem omnium futurorum soli animæ Christi inter creaturas tribuunt, tum quia ex communi eorum doctrina Angeli inferiores à superioribus illuminantur,

tum quia varias assignant regulas quibus dignoscatur, quidnam ex rebus creatis Beati in Verbo videant, aut non videant.

Quæres quasnam ex rebus creatis Beati de facto videant in Deo. *Respondeo* 1, eos videre species omnes, & genera rerum creatarum, totumque ordinem universi ex S. Thom. 1. p. quæst. 12. art. 8. ad 4. Item mysteria gratiæ quæ hic Deo obscure revelante crediderunt, ut ex 2. 2. q. 1. art. 5. colligi potest. 3. Quæ pertinent ad eorum statum ut sumitur ex 3. p. q. 10. art. 2. Quotum ratio est, quia æquum videtur ut in beatitudine omne desiderium honestum expleatur.

Nota 1. Visionem beatificam esse omnino invariabilem, sicut & merita propter quæ datur, & lumē per quod elicitur: unde beati ab instanti beatitudinis vident quidquid unquam vi illius visuri sunt; quod si successu temporis aliqua cognoscunt quæ prius non noverant, ea cognitio fit per revelationes particulares extra visionem beatificam.

* Hinc autem intelligis, cur dicat S. Thomas 1. p. q. 10. art. 5. ad 1. creaturas spirituales, quantum ad visionem gloriæ, participare æternitatem: quia nimirum, ut sic, sunt prorsus immutabiles.

* *Dices*, essentia divina est speculum voluntariū: ergo potest modo unam, modo aliam creaturam representare: *Respondeo*, id quidem posse absolute, sed non per eandem visionem: quia effectus formalis ita est commensuratus suæ formæ, ut quamdiu hæc in subiecto manet, totalis & adequatus illius effectus impediri nequeat. Quare eo ipso quod ille augetur, aut minuitur, necesse est variationem aliquam in ipsa forma intercedere.

Nota 2. Rationem quare unus beatus cum tanto lumine videat, verbi causa has decem creaturas, & non alias decem, proximè sumendam esse, vel ex ratione individuali talis luminis, vel potius ex determinato Dei influxu, remotè verò ex eo quod res quæ videntur, spectant ad statum beati, non aliz.